448 7

# DEO OPTIMO MAXIMO
# UNI ET TRINO,
## VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
### Orthodoxorum Medicorum Patrono.

# QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,
*QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS mane discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis quintâ mensis Aprilis, anno Domini M. DCC. LXX.*

## M. PETRO-ABRAHAMO PAJON DE MONCETS, Equite, Societatis Litterariæ Catalaunensis Socio, Doctore Medico, Præside.

### *An plera-que Herniæ, Stypticorum ope, curari possint?*

I.



QUOT & quantis infirmitatibus afficiuntur homines, dùm in hoc peregrinantur mundo! In propinquo stat livida mors. Intùs extûsque obsidentur malis. Quis seriem enumerare posset? Corporis organica compages, facile destruitur; undique insidiæ. Interne externeque imminet machinæ ruina. Adumbrationes hasce imaginationi impressas habere, quàm Medicis amarum. Attamen felices nimium, hominibus tanta malorum iliade obrutis, succurrere. Beatus ille, qui veram affectat viam. Partes corporis quæ tantâ concordiâ cohærere videntur, situm mutant, præsertim in abdomine seu ventre inferiore; hæ dimotæ, Herniæ vocantur. Harum differentiæ, nomina, natura, portenta, causæ, amplissimam suppeditarent dicendi materiam, de quibus tamen, brevitatis causâ, pauca eloquar. Intestinis gracilibus familiaris prolapsus, crassa verò ita firmiter lumbis alligantur, ut citrà insignem divulsionem, situm commutare raro possint. In omnibus ferè abdominis regionibus, fieri potest ille partium contentarum lapsus, qui pro substantiarum, vel loci varietate, diversa obtinent nomina. Peculiaria abdominis loca, quæ vel laxato vel rupto peritonæo, Herniis occasionem dant, tria numerari solent, scilicet umbilicus, inguina, & scrotum. Si intestinum solum evadat, enterocele; si epiploon, epiplocele vocant; & sic de cæteris. Sed hæ diversitates, quid ad quæstionem, cum easdem agnoscant causas, eamdem ferè expostulent curationem? Quævis Herniæ, à continentium relaxatione aut rupturâ oriuntur. Ex plurimorum observationibus apertum fit, Hernias à relaxatione potius quàm à rupturâ produci. Causæ internæ disponentes quam multæ, partium continentium contentarumque laxitati favent. Herniæ efficiuntur vel à causis internis vel ab externis. Internæ sunt vel à naturâ vel ab hæreditariâ labe vel à victu oleoso fibrarum debilitatem producentibus. Externæ quam plurimæ, exercitia cujuscumque generis, saltus, equitatio in succussore equo, oneris gravioris

elevatio, casus ab alto; percussio; vulnus in peritonæo; tussis nimia cum vel sine vomitu, clamor ingens, expulsio fœtûs fœcûmve laboriosa, flatus in intestinis, spiritûs retentio, tandem omnia quæ violentam intestinorum commotionem efficere valent. Præmissis præmittendis, ut in situm reponantur partes; si à quodam medicamento astringente, agglutinanteque ita stringantur peritonæi partes musculorum que fibræ ut de novo exitum non permittant, certè anteponenda est illa sanationis methodus.

## I I.

CUM vel à relaxatione aut rupturâ Peritonæi, vel elongatione fibrarum musculorum abdominalium, ut jam diximus, originem ducant Herniæ, si tantum debilitatæ sint partes, facili erit negotio, tùm victu convenienti tùm medicamentis naturâ & experientiâ indicatis, contrario laxitatis effectu, hasce partes firmare. Si verò ruptum sit peritonæum validâ fibrarum constrictione, jam repositis partibus anteà prolapsis, intercludi debet iter, quod astringente quodam topico, facilè obtinebitur; dùm internè vulnerariis medicaminibus corroborantur partes & illud sæpissime experientiâ teste probatur. Refert Ambrosius Pareus quadragenarios hoc modo restitutos & à se monachum quemdam integrè sanatum fuisse; qui cum post sexennium, pleuritide mortuus esset, aperto post mortem cadavere, inventa est circa foramen ovale, substantia adiposa, ovi magnitudine, loco tenaciter adhærens. Ne igitur, ferrea artificiosáque parentur cingula, nisi post elusam veræ sanationis spem. Ut huic tamen infirmitati medeatur, quid suadent practici? Fascias; sed ferè malo pejùs est remedium. Valida necessariaque compressio, partium consolidationi adversatur; fibræ parumper contunduntur, dilatatur foramen Quàm calamitosè vivunt illæ victimæ! Dum perpetuo catenarum alligationi damnantur; nec est melioris vitæ ulla spes.

## I I I.

MITIORA tentamus remedia. Ferrea non nobis mens est. Quod attinet ad curam, in omni Herniâ duo sunt primariò scopi attendendi. 1°. Ut reponantur partes prolapsæ in situm naturalem. 2°. Ut iis repositis, membranæ vel ruptæ vel laxatæ consolidentur, firmenturque & in loco remaneant, constricto aliunde Herniæ orificio; ut primæ indicationi satisfiat, cautiones adhibendæ in reponendis ab omnibus notæ, variæ pro tempore Herniæ & pro membranarum prolapsarum naturâ, quæ expertissimam manum expostulant. Hæc prætermittam silentio. De quibus videndi sunt Heisterus, Dionis & alii quamplurimi, qui fusè de Herniis scripserunt. Ad secundam curationis partem propero. Æger utetur diætâ convenienti ita ut alvus sit mollis; deinde flatulenta, quæ intestina distendunt, vitet alimenta; omnia præterea exercitia vehementiora damnosa reputet; his positis ægro, per plures dies, supino decumbente, eligentur topica quædam peculiaria, vi quâdam astringente non solum prædita, sed etiam siccante, aliquam tamen viscidítatem habente. Innumeranda venit optimæ notæ series autorum, qui de hâc medendi methodo scripserunt. Multifariam opem è triplici regno excerptam proponunt; felicique cum eventu herniosos curavisse affirmant. Ex vegetabili regno, auriculam muris seu Pilosellam luteám (*a*), interne Hernias infantum præcipuè, nummulariam vero quaslibet Hernias curare testatur Schroderus. Herniaria, multigrana serpilli-folia, ab usu nomen habuit; hæc intestinorum & omenti laxitati medetur; & in his casibus, nullis cedit remediis, asserente Mathiolo; hanc enim dotem hujusce plantæ, experientiâ duce, certò intra novem dies curare confirmavit Hollerius(*b*). Perfoliata arvensis(*c*) sive interno usu pulverata adhibeatur, sive ejus essentia assumatur, sive unguentum ex illa applicetur extrinsecùs, rupturæ, tum scroti, tum umbilici, egregium præbet medicamentum. Quam plurimos Herniosos restituisse scripsit Fallopius, ab usu interno poligoni ceu centinodiæ. Symphitum majus(*d*), Hernias qualescumque, tum umbilicales tum scrotales,

(*a*) Vid. Ermull. opera tom. II. Schrod. dilucid.

(*b*) Holler. tract. de morbis intern. cap. 62.

(*c*) Vid Etmull. tom. II. p. 13.

(*d*) Sennert. tract. Med. lib. III. part. I. Sect. I. cap. VI.

testante Zwelfero (*e*), consolidat. Plurima ex eodem regno remedia ab autoribus commendantur, scilicet Sanicula, Sigillum Salomonis, Tormentilla, Nuces Cupressi, Pix Græca, Resina Pini, Sanguis Draconis, Thus, Mirrha, Mastiches, Bdellium, &c. In Herniâ carnosâ, pulvis radicis Anonidis intùs assumptus ad ʒ1, expertum est remedium à Mathiolo, Sennerto(*f*), Hornungio(*g*), Sculteto(*h*) prædicatum. De regno animali, axungia leporina, Herniosis conducit; axungia ursina, in intestinali Hernia convenit, si inungatur regioni lumborum circà spinam dorsi post repositionem intestinorum, impedit quominus denuò possint excidere, & fuit secretum Dni Sulzbergeri Patris. Unde etiam Scholzius (*i*), Herniosos inungit cum medulla cervina, ubi est ruptio. Paratur oleum ex vitellis Ovorum valde pretiosum; Oleum lacertæ singulare secretum contra Hernias, ut videre est in Fonseca (*j*), quod commendat ut arcanum pro externa inunctione. Hoc Oleum, Zwelferus (*k*) prodit, ubi inquit esse secretum pro principibus, nec quidem vulgari revelandum, propter mirabilem virtutem. Idem ferè dicendum de Oleo Formicarum Majuscularum, omni manè inungatur, vel etiam interdum aliquid istius liquoris assumatur. Regnum minerale, æque numerosam Herniosis fert opem. Balsamus salis gemmæ, seu liquor de Sale Fossili arcanum præstantissimum est in rupturis, intùs & extùs adhibitum. Prior de *Cabrieres*, Medicamentum proponebat, quo omnes Herniosi curari possint sine vinculo & sectione, consistebat in spiritu salis, qui certa quantitate cum vino rubro quotidie per aliquod tempus erat assumendum, D. Doctissimus Malouin (*l*) hoc ce commendat remedium cum infusione Sigilli Salomonis. Aqua glacie obstricta, itemque Aluminosa, & Rabelliana, & illæ quas vocant ardentes, externo usu prosunt; omnia tandem quæ languentem tonum suscitare valent. Ex his omnibus remediis, composita varia concinnare licet; quorum variæ formulæ, pro interno vel externo usu extant in sennerti, aliorumque operibus, qui quidem dicit non nullos hanc curam ut certissimam, nec sine ratione commendare. Ut topica illa retineantur Sufficiunt linteæ-fasciæ, pro diversitate loci variæ.

(*e*) Zwelfer Pharmacop. Regia Edit. ultim pag. 237.
(*f*) Sennert. lib. III. prax. Medic.
(*g*) Hornung. in cista Medic. pag. 311.
(*h*) Scultet. in Armam. Chirurg. observat. 74.
(*i*) Scholzius consil. 203.
(*j*) Fonseca lib. II. consil. 36.
(*k*) Zwelfer. Pharmacop. Regia Edit. ultim. pag. 312.
(*l*) Malouin hujus Scholæ Mag. in Chim. Medicin. pag. 490.

## I V.

PLURIMI nobiscum consentiunt tum antiqui, tum recentiores Autores, de hujus methodi efficaciâ. Illorum testimonia referre necesse credidimus. Ex Autorum numero, qui de hoc morbo scripserunt, opinioni nostræ minus favere videtur Heisterus, apud quem legere est curationem quam non nulli jactitant vel tentant per Unguenta vel Emplastra, vel alia quæcumque Medicamenta, sine vincturâ inanem, vel saltem incertam esse. Attamen paulò infrà. » Si idonea remedia, interna & externa, roborantia scilicet, una cum apta victûs ratione accedant, cum convenienti vinculo, » affirmat Hernias recentes ac leviores sive nondum incarceratas curavisse, non in » junioribus tantum aut parvulis fere omnibus, sed aliquando in adultis. » Dum medicamentorum roborantium tùm internorum, tùm externorum efficaciam prædicamus, necessum esse fatemur, ita contineri partes, ut exitui non detur locus. Hinc, de materiâ vinculum constituente, curationis tempore, cum Heistero sola dissentio. Non super vacaneum nobis visum est Autoribus jam recensitis unam aut alteram autoritatem superaddere. In observationibus communicatis Riverii (*m*), legere est hominem Herniâ intestinali laborasse, & curatum fuisse à tribus Emplastris, quorum singula gestavit per novem dies, cum subligaculo, ea autem conjecit ex Galbano esse confecta. In eodem libro quidam (*n*) asserit, præter multorum expectationem, ramicem intestini & omenti se curasse absque Chirurgi manu, maxime cum qui quemdam torquebat à decem annis & etiam à gravissimis doloribus, australi constitutione ingruere solitis, vexabatur; huic imperavit, ut in lecto se contineret mensem unum, simul quantum fieri posset adductis cruribus, non divaricatis, victu siccante uteretur, nisi forte prunis elixis ex sacchar

(*m*) Observation. Commun. Riverii Edit. Lugd. 1672. p. 132.
(*n*) Observ. Communic. Riverii Edit. 1672. p. 137.

& aquâ ad alvum subducendam, nullis crudis, flatuosis & coctu difficilibus, præter Hædorum, Suum, Arietum pedes vesceretur. Præparata vid. in observation. Riverii.

Etiam in codice Parisiens. habes Emplastrum contra rupturam. Num sint vanæ hæc magistrorum in arte compositiones. Absit; sin vero, cur non sæpius adhibeantur? Quàm mirum etiam mihi, omnino derelictam curandi methodum, non dispendiosam, tam facilem, cujus adeò comprobati successus videntur, ut seligeretur molesta, imperfectamque sanationem producens; dùm verò perpetuò cingi ligaturis calibeatis tenentur; ægroti in omni vitæ puncto malum à mente ejicere illis non licet! Obruuntur vinculorum pondere & levem aversantes submissionem, catenis sese alligari sinunt. Non operosam sed perfectam sanitatem miseris pollicetur Medicina; laboriosam, imperfectamque potius quærunt. Quidam ægroti, pro quibus, elusa spe incassùm tentata fuit illa medicamentorum energia, sæpe vel à neglectâ selectorum applicatione, vel à negligentiâ, vel ab ætate provectiori, in quâ fibræ jam tonum amiserunt, vel ab impatientiâ, vel à quodam particulari temperamento, funestam cinguli certitudinem induerunt; & pro dulci sanitatis spe commutarunt. Nunc nobiscum consentiant omnes Practici, illo tam certo utendum esse remedio, etiamsi successus minus prosperos haberet. Magna felixq. tentaminis merces.

V.

SI de efficaciâ hujus remedii, tùm apud antiquos tùm apud recentiores quam plurimos qui de Herniis scripserunt, constet? Si millies hâc methodo curatos fuisse affirment? Cur tot & tantas observationes legisse sat nobis esset? Non in æternum vincula gerere, sed vittas tantisper circumferre necesse est. Sed, inquies, medicamentorum farraginem abhorrent ægroti, incerta que sanationis spes illos deterret; & dummodo ad munia vitæ obeunda sint habiles, nihil amplius appetunt. Vana allegatio, præcipuus curationis scopus in externorum remediorum applicatione, & fastidia medicaminum internorum evanescent, solidâ sanitatis spe; præterea, si hodie fasciarum ferrearum eligitur methodus, potius practicos, quam ægrotos inculpandos esse puto. Nam quis mente sanus, dummodo discat, ope stypticorum constringi posse fibras, ità ut de novò intestinis negetur iter, qui dubius de naturâ remedii fluctuet? Ferreâ methodo læditur, nostrâ vero sanatur. Hinc concludere licet;

*Ergò pleræ-que Herniæ, stypticorum ope, curari possunt.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

*M. Cosma-Augustinus* LEZURIER, *Scholarum Professor.*

*M.* Nicolaus JEANROY, *Regii Medicorum Nanceianorum Collegii Socius Honorarius.*

*M. Augustinus* ROUX, *Regiæ Societatis rei agrariæ, necnon Regiæ scientiarum Academiæ Burdigalensis socius.*

*M. Achilles-Guillelmus* LE BEGUE DE PRESLE, *Eques & Censor Regius.*

*M. Cæsar* COSTE, *Censor Regius.*

*M. Petrus-Joannes-Claudius* MAUDUYT DE LA VARENNE.

*M. Guillelmus-Josephus* DE L'ÉPINE, *Antiquus Facultatis Decanus.*

*M. Nicolaus* LE ROY DE S. AIGNAN, *Eques.*

*Ludovicus-Claudius* BOURDELIN, *Antiquus Facultatis Decanus, Regiæ scientiarum Academiæ, Regiæque societatis Berolinensis socius & Galliarum principum Medicus primarius.*

Proponebat Parisiis BENJAMINUS-MICHAEL SOLIER DE LA ROMILLAIS, Rhedonæus apud Armoricos Doctor Medicus Rhemensis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1770, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi 1770.